

res manu potenti invaserunt, & ceperunt Terram & Civitatem Caprularum subito, & eam despoliaverunt omnibus bonis, & ceperunt Potestatem cum filiis suis, & alios quamplures homines: & navibus bonis Terræ oneratis, totam Terram igne concremarunt. Quibus peractis, moto navigio suo cum multis lignis, quæ ceperunt in Terra antedicta, cum omnibus Aquilegiæ die venerunt.

*De transmutatione Festi B. Margaritæ.*

Anno Domini M. CC. nonagesimoprimum, Rev. Pater D. Raymundus Dei gratia Aquilegiensis Patriarcha transmutavit Festum S. Margaritæ, quod erat in Festo S. Hermacore in Octava ipsius S. Hermacore: & ita ordinavit, per totum Forumjulii celebrari.

*De captione Acri.*

Anno Domini M. CC. XCI. Saraceni manu potenti ceperunt Terram Acri XVII. die intrante Majo: & ipsam Terram, & alias Terras vicinas, & Castra diruerunt, & ad terram prostrnaverunt.

*De Verra Istriae per Dominum Rev. Patriarcham, Comitum Goritiæ, & Foro-Julienfes, & alios.*

Anno Domini (a) Millesimo Ducentesimo Octogesimo nono, Indictione II. Venerabilis Vir D. Raymundus, Dei gratia S. Sedis Aquilegiensis Patriarcha, in Festo B. Marci, Aquilegia exivit cum sua gente, & ivit versus Montemfalconem, causa eundi ad exercitum in Istriam. Eo die venit ad eum D. Albertus Comes Goritiæ cum sua gente, quæ erat in villa Cervignani: necnon omnes de toto Foro-Julii, a decem & octo annis supra, & a septuaginta infra; & Carnea, Cadubrio, Carinthia. In cujus subsidium & juvamen misit etiam Nobilis Vir D. Meynardus Dux Carinthiæ magnam multitudinem hominum. Omnibus vero congregatis apud locum prædictum, egregius Vir D. Albertus, Comes Goritiæ supradictus, de consensu & voluntate Domini Patriarchæ prædicti, fecit Milites D. Henricum de Prampercho, & D. Nicolaum filium Baldachi de Civitate in Campanea, quæ est sub Castro superius nominato. Quibus vero peractis, ordinatæ fuerunt acies Equitum pro se, & Peditum pro se; necnon Rectores cujuslibet aciei. Hoc facto, computatæ fuerunt acies, & Rector five Capitaneus cujuslibet aciei suos computavit omnes: & reperti fuerunt in summa in toto exercitu quinque mille Milites, & quinquaginta mille Pedites. Et muto inde exercitu iverunt omnes versus Terram, quam Veneti fecerant ante Tergestum: & ibi per multos dies steterunt, & sæpe cum ballistis nocebant sibi inter se, sed numquam in campum ad prælium convenerunt. Et interdum faciebant treugas inter se, si possent concordari. Et nostri intrabant Terram Venetorum, & ipsi Veneti in exercitu nostrorum durantibus treugis conveniebant. Hoc facto, una die D. Albertus Comes Goritiæ supradictus, ignorante Domino Patriarcha, & absque voluntate ipsius, separatus fuit de dicto exercitu, & recessit. Et tunc Dominus Patriarcha, habito consilio sapientum, recessit universaliter cum omnibus de dicto exercitu die sexto intrante Majo; quia dicebatur, quod ipse Dominus Comes vellet prodere exercitum, & ipsum Dominum Patriarcham. Deinde celebratum fuit Colloquium generale Civitate, XIII. die intrante Majo, ut Tergestum in alimoniis subveniretur. Cui Colloquio interfuit Dominus Comes Goritiæ, Domini Episcopi Tergesti-

nus, & Concordienfis; necnon omnes Nobiles de toto Foro-Julii. In quo Colloquio statutum, & ordinatum fuit: quod omnes de Civitatibus, Castris, & Burgis, & villis a decem & octo annis supra, & a septuaginta infra, ire deberent ad exercitum prælibatum. Qui Dominus Patriarcha ivit versus Montemfalconem VII. die intrante Junio. Eodem vero die venit ad eum Henricus, filius Comitum Goritiæ, cum sua gente, & magna multitudo de toto Foro-Julii: & moverunt exercitum causa eundi Tergestum cum curribus & asinis multis deferentibus victualia. Et ita euntibus ipsis per stratum, quæ vadit versus Tergestum, faciebant strepitum & rumorem ultra modum, & in nocte ignes copiosos per montes, quia frigus erat. Veneti, qui erant in Civitate illa, quæ erat ante Tergestum, cui imposuerunt nomen Romagna; audierunt rumorem magnum & strepitum a longe, quem exercitus faciebat: timuerunt timore magno, credendo quod exercitus esset major quam fuerat prius, & erat satis minor. Omnes navem intraverunt qui potuerunt, & multi in aquam submersi fuerunt per nimiam festinationem & solitudinem; quia nec pater filium, nec filius patrem expectabat. Et ita die XVII. intrante Junio fugerunt, dimissis illic multis bonis: quæ omnia quasi Tergestini acceperunt, quia nostri multum distabant, quando illi fugerunt.

*De pace inter Venetos, & Foro-Julienfes.*

Anno Domini M. CC. XCI. die XI. intrante Novembri, in Festo D. Martini, præconizata fuit pax in Civitate Austria inter Dominum Patriarcham & Foro-Julienfes ex parte una, & Venetos ex parte altera, & per totum Forumjulium sub certis pactis & articulis. Videlicet, quod ipsi Veneti sine aliquo tenore dimitterent Castrum de Mugla, & burgum, & Castrum de Muquon, & omnia loca quæ occupaverant, sive ceperant post inceptionem verræ prædictæ. Alia vero loca, quæ prius ceperunt, debeant servare ipsi Veneti usque ad sententiam, sive diffinitionem Domini Papæ. Et omnes incarcerati ex utraque parte dimissi fuerunt, & omnes portus fuerunt aperti.

*De obitu Ven. Viri D. Fulcheri.*

Anno Domini M. CC. XCIII. Indictione sexta, Venerabilis Vir D. Frater Fulcherus, Concordienfis Episcopus, obiit XIII. die.

*De electione & confirmatione D. Jacobi quondam Ottonelli.*

Item præscripto anno D. Jacobus quondam Ottonelli, Canonicus Civitatenfis, electus fuit in Episcopum Concordiensem communiter per omnes Canonicos, præterquam per unum, qui elegit Dominum B. Decanum Civitatensem, qui postea renunciavit suæ electioni, & in ipsum D. Jacobum consensit, IV. die exeunte Aprili. Qui postea confirmatus per D. Raymundum Patriarcham fuit in Utino.

*De Consecratione D. Jacobi.*

Anno Domini M. CC. XCIII. Indictione sexta, Venerabilis Vir D. Jacobus quondam Ottonelli consecratus fuit in Episcopum & Pastorem Concordienfis Ecclesiæ per D. Brisam Tergestinum, die duodecimo exeunte Decembri, scilicet in Vigilia S. Thomæ Apostoli in Aquilegiensi Palatio.

Item eodem anno in die S. Thomæ Apostoli post Missam in Capitulo Civitatenfis Ecclesiæ data fuit

(a) Sic in Codice.